

tatem , & gravitatem cognoscere ad judicium publicum pertinet ipsius Ecclesiae , quod falli non potest . Ecclesia igitur erit Sanctorum censum instituere . Ut enim criminum certa cognitio ad remissionem , sic ad Sanctorum , qui regnant in coelo , communionem nobiscum intelligendam certum Ecclesiae de hominum meritis , & sanctitate judicium refertur . Quocirca pessime errat , nendum facit irreligiose , qui putat in Divis consecrandis errorem posse contingere .

Deinde quis eos ferat versipelles politicos , qui prudentiam eruditione conjunctam in his judicandis prae se ferentes , Ecclesia Dei potestatem relinquunt in necessariis , in iis autem , qua sunt utilia , conantur eripere ? Utile fuit , eritque semper Indulgentias & petere , & obtinere , non ad salutem necessarium : pertinetque ad morum doctrinam Indulgentias proponere , nec minus populo Christiano usum illarum commendare . Sed quis tamen , nisi haereticus , audeat potestatem Indulgentiarum Ecclesia abrogare , vel , an sint profuturae , in dubium vertere ? Auxilium gratiae requiri ad singulos actus , qui salutares dicuntur , veteris fuit Ecclesia consensus ante Pelagium . Simil erat in regulis morum , ut eam peterent Christiani , & , quam petebant a Deo , necessariam omnino esse faterentur . Nunc mihi volo respondeant isti politici , qui Ecclesia Catholica auctoritatem se magnopere simulant propugnare . Actiones illas , quibus virtutes Christianae se produnt , & in homine exercent , putant ne omnes ad salutem necessarias ? Minime vero . Nam in illis multae sunt utiles , quibus si careas , non pericitatur salus : & illae dumtaxat sunt necessariae , quae Dei lege indicantur , atque jubentur . Aliæ quamplurimæ non ad officium hominis Christiani , sed ad perfectæ , absolutæque virtutis pertinent gradum . Atqui Ecclesia , dum filios monet , & instruit , ut gratiam petant ad salutares actiones , errare non potest : neque ab iis , quae sunt necessariae , utiles excipit . An idcirco Theologo fas erit excipere , neque ad ejusmodi actiones utiles gratiam requiri existimare ? aut falli Ecclesiam , quæ